

XXII. Et hinc sumitur explicatio illius tertii modi diminuendi pravitatem, scilicet ex parte extensionis, quia pravitas, seu malitia intentionis est una numero moraliter cum malitia electionis, non duplex sicut esset si ex malo fine formaretur illa intentio. Nam quando malitia alicujus objecti, vel circumstantiæ depravat aliud sibi adjunctum per quamdam extensionem, ibi solum censetur una malitia moraliter loquendo, et si physice, et entitative possit multiplicari, quia diversi actus sunt, et unusquisque suam malitiam habet, id est, suum respectum et ordinem ad objecta, vel circumstantias ex quibus vitiantur. Cæterum totum hoc habet rationem unius formalis malitiæ, et unam specie deformitatem habet, quia non est ratio aliqua duplicandi illas malitias in specie morali, licet enim id quod alias ex natura sua esset bonum, corrumpatur ex adjuncta malitia, tamen talis corruptio solum est quatenus illud bonum deservit illi pravitati, eique conjungitur, et ex illa participat, malitia autem participata ab una principali specie non aliam malitiam habet in ipsa participatione, quam in suo principali, sicut eleemosyna ex conjunctione ad furtum, non aliam malitiam participat quam furti, et mulier fornicationi consentiens ex paupertate, ut habeat unde vivat, vel ut vitam conservet, non nisi malitia fornicationis fœdatur, ut optime notat Cajetanus citato loco ex quæstione CXLVIII. Imo ex istis causis alias honestis et licitis peccata alleviantur; tum ob rationes dictas, quia ex hoc ostenditur animus non per se tendere ad vitia, sed sub colore honesti; tum ex hac tertia ratione, quia ipsa extensio malitiæ minor est, si quidem in tota illa extensione, solum unum peccatum committitur, non vero deformitatis

species duplicatur: et sic etiam ipsa electio prava in extensione sua diminuitur, quatenus tota hæc extensio in una malitia sistit, non ad duas transit.

XXIII. Tertia pars conclusionis, videlicet quod bona intentio finis non sufficit excusare totam malitiam prave electionis, et exhaurire illam probatur, quia aut illa electio est ex natura sua, et ex proprio objecto prava, aut est indifferens, vel de male sonantibus, quod tamen ex adjuncto bono fine potest bonitatem induere et reddi bonum. Si hoc secundo modo se habet, non est difficultas, sed tunc non currit casus præsens, quia non supponitur malitia in electione, sed indifferentia, aut aliqua male sonantia, sed non intrinseca malitia. Unde talis actus ex bono fine adjuncto, non solum excusatur, sed etiam bonus redditur, quia in se malus non erat, sed indifferens ut esset bonus: solum vero improprio modo potest dici, quod excusatur a malo, quatenus per appositionem boni finis fit quod non apponatur malus, et consequenter non fiat pravus actus. At vero si actus ipse electionis, non solum indifferens in se sit, sed etiam intrinsece, id est, ex objecto suo malus, non potest ex sola appositione boni finis excusari totaliter, et bonus reddi, quia vel manet tale objectum integrum et immutatum, vel non. Si mutatur, jam est alius actus, qui habebat objectum, et sic non excusatur ille actus, qui habebat objectum pravum, nec purgatur a sua malitia manente ex objecto, sed fit alius actus, et aliud objectum, quod est bonum, nec excusari indiget. Si autem non mutatur objectum, ergo neque excusatur nec purgatur a malitia, quia manet sicut antea non mutatum, ergo manet malum, quia ante sic erat. Malum autem ex quocumque defectu. Unde

manente malo objecto nunquam finis qui dat circumstantiam, et motivum potest illum actum reddere bonum, quia non potest mutare objectum malum, quia potius illa malitia vitiat illum bonum finem, quia sufficit ad malum quilibet defectus.

XXIV. Sed objicies contra primam partem conclusionis, quia intentio bona non habet vim tollendi aliquid de objecto malo prave electionis, si quidem finis imperans nihil mutat de objecto actus imperati, ergo neque aliquid minuit de ejus malitia. Patet consequentia, quia non mutato objecto manet tota causa malitiæ illius actus, ergo in nullo diminuitur, nec potest dici, quod minuitur quantum ad accidentalem malitiam ex parte circumstantiarum et motivi tenentis se ex parte finis. Nam contra est, quia etiam ex parte finis non adjungitur actui illi finis bonus, ergo non diminuitur mala ista circumstantia. Consequentia patet, quia circumstantia mala non minuitur nisi per appositionem alicujus bonæ; si id quod apponitur bonum non est, sed etiam malum, non minoratur malitia, sed mutatur. Antecedens vero probatur, tum; quia ille finis qui apponitur actui est malus, quia est corruptus a malo: qui enim ex intentione dandi eleemosynam furatur, non habet pro fine eleemosynam bonam, sed corruptam, scilicet ita excessive volitam, ut in illa constituat ultimum finem frangendo præceptum Dei propter illam, et illa in se vitiat pravitate orta ex mala electione; ergo non applicat electioni illi bonum finem, sed eleemosynam corruptam, et vitiatam tam ex ipsa electione, quam ex eo quod constituitur ut ultimus finis; ergo non potest minuere circumstantiam malam, cum potius ipsa eleemosyna in se mala sit prout hic et nunc

in exercitio. Tum etiam, quia qui furatur et dat eleemosynam, hoc ipso constituit se magis impotentem ad restituendum, ergo majorem injuriam irrogat vero domino, quia magis impedit restitutionem. Quare dicit Augustinus lib. I. homiliarum, homil. VII: « Quod hæc cogitatio, volo furari a divisibus, ut dem pauperibus diaboli calliditate suggeritur, nam si totum quod abstulit tribuat auget potius peccatum, quam minuatur. » Tum etiam, quia velle furari, ut ex furto faciam actum religionis, verbi gratia votum furandi, aut ut ex furto faciam ornamentum altaris, vel festum aliquod, potius est irrisio Dei, quam diminutio peccati; ergo similiter erit irrisio Dei, si ex intentione eleemosynæ velim furari, quia ut dicit Chrysostomus homil. XLII imperfecti: « Nescit justitia Dei patrocinium dare criminibus. »

XXV. Confirmatur, quia si e converso aliquis ex malo fine eligat aliquod medium bonum, verbi gratia ex intentione adulterii eligat orationem, seu ire ad ecclesiam, vel dare eleemosynam, talis non minuit peccatum malæ intentionis ex bonitate medii electi; ergo nec e converso ex bonitate intentionis minuit malitiam electionis. Consequentia patet a paritate rationis, quia sicut finis bonus dat circumstantiam causæ electioni, ita medium bonum dat circumstantiam effectus malæ intentioni; ergo pari modo possunt ad invicem diminuere malitiam. Antecedens vero probatur, quia qui ex intentione furti, vel adulterii eligit orationem, vel eleemosynam fertur in illud bonum ex mala voluntate, et ex majori inclinatione in illum finem malum; ergo magis peccat circa talem electionem, quam vult animo ita depravato.

XXVI. Respondetur verum esse

quod intentio bona non minus pravam electionem ex parte objecti, et specificationis suæ, sed ex parte accidentalis malitiæ, et motivi tenentis se ex parte finis, ex quo red- dicitur minus voluntarius circa malum, et minori affectu ducitur ad peccatum, quia sub colore boni honesti appetit illud vitium. Et ad instantiam contra hoc respondetur distinguendo antecedens; non adjungitur illi actui finis bonus, distinguo; bonus bonitate rei intentæ quantum est de se, et ex parte specificationis, nego; bonitate operantis, et ex parte exercitii, concedo. Ex tali autem circumstantia adjuncta potest diminui malum, quia diminutio illa non oritur ex illa intentione considerata ex parte operantis, et adæquate in suo exercitio, sed ex parte rei intentæ, et secundum inadæquatam considerationem ejus, videlicet ex parte finis secundum se considerati, sic enim dat motivum, et rationem volendi ipsi electioni, et in hoc diminuit malitiam, quia non ex tanto affectu ad malum ducitur, sed movetur ex re secundum se bona, et motivo bono antecedenter, et ex se, licet ex parte operantis consequenter reddatur malum propter malum operantis abusum, non quia operans intendat rem illam reddere malam, sed quia vult ei adjungere malum opus.

XXVII. Unde patet ad primam probationem antecedentis. Dicimus enim, quod ille finis est malus et corruptus, et excessivo modo armatus ex consequenti, et ex ipso abusu operantis, non ex proprietate suæ naturæ, et specificatione objecti secundum se sumpta; et sic talis finis ejusque intentio, et in suo exercitio mala sunt, et in ratione ipsa movendi, et afficiendi voluntatem finis est bonus, quia ratione rei intentæ quæ de se bona est movet, non ratione malitiæ ex

parte operantis adjunctæ. Et sic dupliciter aliquid dicitur esse finis ultimus, uno modo per se et ratione ipsius rei intentæ, quia in ea quiescit, et eam amat per se, ut cum delectatur de sensualitate propter ipsam; alio modo per accidens seu ratione alterius, quia licet res in se sit bona, et referibilis in Deum, tamen ex aliquo consequenti illi adjuncto, et ex abusu operantis diligitur cum fractione præcepti divini. Quod primo modo se habet ut finis ultimus, si adjungitur electioni, non minuit malitiam, sed auget. Quod secundo modo non auget ipsam malitiam, sed potius ex malitia alterius vitiatur, minuit autem illam, quia ex parte rei intentæ secundum se considerata bonum est, et sub illo movet ad malum, et sic quia non apponit pro fine eleemosynam corruptam, et vitiatam consequenter, et abusu operantis, ideo relinquatur locus ut possit minui malitia operis ex bonitate rei intentæ consideratæ secundum se.

XXVIII. Ad secundam probationem dicitur, quod ex illa parte qua se reddit impotentem ad restituendum aggravari potest malitia furti, sed non est ex ipsa eleemosyna quatenus eleemosyna est, sed quia ipse alias non habet unde reddat, quod utique eodem modo sequeretur etiamsi rem furatam non in eleemosynam expenderet, sed in ebrietate, aut scortatione, aut in alia re. Quare ratio eleemosynæ per se non influit in illam impotentiam restituendi, sed quia alias non habet unde reddat. Unde potest ex ratione eleemosynæ alleviari illud furtum, et illa impotentia restituendi, licet tam furtum, quam impotentia ad restituendum peccatum sint, et malum. Et D. Augustinus in eo sensu loquitur, considerando impotentiam quam quis addit supra furtum, non ex eleemosy-

na quatenus talis, sed ex alienatione illius pecuniæ, non habendo alias unde reddat.

XXIX. Ad tertiam probationem respondetur, quod votum facere de furando, non alleviat peccatum, sed gravat, quia non apponit ei bonum finem, sed ipsum peccatum furti facit materiam voti, quod est facere votum sacrilegum. Qui autem furatur ex intentione faciendi festum, vel ornamentum ecclesiæ, vel aliquid aliud ad cultum Dei pertinens, et si male facit ex parte electionis, tamen eodem modo alleviatur ex intentione illa, sicut ex intentione eleemosynæ, quia apponit finem de se bonum.

XXX. Ad confirmationem respondetur negando consequentiam et paritatem. Disparitas est, quia finis est circumstantia movens voluntatem ad electionem, et dans illi formale motivum. Unde sicut ex bonitate rei intentæ alleviat minuendo voluntarium pravum, ita ex malitia rei intentæ aggravat præbendo formalem rationem pravam volendi, præsertim cum finis sit ratio formalis volendi media, et qui vult medium ex fine magis amat finem quam media, sicut qui furatur ut mœchetur magis est mœchus, quam fur. At vero qui bonam electionem, seu bonum medium eligit ex mala intentione, non adjungit malæ intentioni bonitatem aliquam influentem in talem intentionem, cum potius se habeat ut effectus, et ut quid consequens ad illam, et sic non habeat unde minuat ejus malitiam, sed potius unde destruat ejus bonitas etiam ex parte rei voluntæ formaliter, quia finis dat formalem rationem volendi.

XXXI. Objicies secundo contra tertiam partem conclusionis: Multa peccata, et quæ alias secundum se sunt mala excusantur ex bona intentione; ergo falsa est pars. Ante-

cedens probatur, tum in mendacio, tum in homicidio, et furto, aliisque similibus. Nam Jacob mentitus est patri suo, dicens se esse primogenitum ejus Esau, et tamen solum ob intentionem bonam excusari potest. Judith etiam coram Holoferne plura dixit de traditione civitatis, et victoria Holofernis, ejusque virtutis, quæ falsa erant, ut patet capite xi. Judith: et Abraham dixit de Sara uxore sua, quod esset soror ejus, Genes. xx: Moyses occidit Ægyptium, Exod. ii auctoritate propria, et ex bona intentione liberandi proximum suum excusatur. Samson seipsum occidit, Judic. xvi, et Raxias ii Macch. xiv, et excusantur ob finem bonum, ille servandi populum Dei, iste servandi continentiam. Propter quod dicit Hieronymus super caput i Jonæ: « Quod non licet propria se occidere manu, absque eo ubi castitas periclitatur. » Ergo sentit, quod ex bona intentione servandi castitatem, purgatur malitia homicidii. Et ad hoc etiam faciunt, quæ adducta sunt supra de bona arbore, quæ non potest malos fructus facere, per quam intelligitur bona intentio.

XXXII. Respondetur negando antecedens; et ad illa quæ afferuntur pro mendacio excusando, quorum plura exempla solent ex Scriptura adduci, late respondet S. Augustinus in libro contra mendacium, c. v, tomo iv, et S. Thomas 2-2, q. cx, art. iii ad secundum et tertium. Et dicimus Scripturam multorum mendacia referre, sed non ea approbare, nec pro illis Deum remunerasse dicit; sicut obstetrices Exod. i mentitæ sunt Pharaoni, sed non pro illo mendacio remuneratæ sunt, sed pro timore quem habuerunt erga Deum, non occidendi infantes Hebræos. Et quando dicit ibi D. Thomas quod ex timore, et benevolentia illa processit mendacium,

non intelligitur quod processit tamquam electio ex intentione, sed quod inde occasionatum est. Nam ipsæ ex timore Dei servaverunt infantes. Et hoc opus fuit bonum, et remuneratum a Deo, deinde interrogatæ a Pharaone cur non occiderent infantes, mentitæ sunt ut servarent vitam, et hoc non est remuneratum a Deo, fuit tamen occasionatum, et processit ex priori actione vivificandi infantes. De Jacob dicimus ipsum non fuisse mentitum dicendo: Ego sum primogenitus, tuus Esau; tum, quia repræsentabat primogenituram Esau, quæ de jure debebatur illi, et sic se appellabat Esau non in persona, sed in jure, sicut Joannes dictus est Elias non in persona, sed in spiritu, tum; quia loquebatur per prophetiam secundum intellectum mysticum, quia minor populus, scilicet gentilium substituendus erat loco majoris, scilicet Judæorum, et gentiles repræsentabantur in Esau, Judæi in Jacob. Abraham non est mentitus dicendo Saram esse sororem suam, quia vere soror erat ut dicitur Genes. xx, licet voluerit tacere, quod esset uxor. Judith quoque in verbis quæ Holoferni dixit cum magna cautela, et prudentia locuta est, et aliquibus amphibologiis, non tamen mendaciis. Quod si in aliquo verbo fortassis mentita est, non ex eo laudatur, sed ex charitate et affectu ad salutem populi, vere tamen omnia quæ dixit sensum verum habebant, licet Holofernes id non perciperet, sicut quod diceret illum per media Hierusalem, et ne unus canis latraret contra illum, verum dicebat, quia illum adductura erat per mediam Hierusalem, sed mortuum, non vivum, deferendo caput ejus, etc.

XXXIII. Ad id quod dicitur de homicidio respondemus, quod Moyses si est excusandus in occisione illius

Ægyptii, vel intelligemus id factum ex inspiratione divina, quæ ad hoc ei auctoritatem tunc dederit, vel id fecit in defensionem proximi justam, quia videbat fratrem suum, seu proximum injuste ab illo Ægyptio affligi et opprimi, nec fuit alia via defendendi ipsum, quam invasorem occidendo. Samson vero in occidendo se, salvari debet, quia Spiritus sancti instinctu id fecit, sicut et aliquæ sanctæ feminæ in persecutione id fecerunt, quarum memorias celebrat Ecclesia, sicut ex Augustino 1 de civitate, c. 11 affirmat D. Thomas 2-2, quæst. LXIV, art. v ad quartum. De Razia non est ita certum se occidisse ex vera fortitudine, ut ibi ad quintum docet S. Thomas, si tamen sine peccato se occidit, dicendum est de illo idem quod de Samson, quod ex speciali Dei instinctu se occidit. Quod tamen non dicemus de Saule, et aliis similibus in Scriptura, quos non est necesse salvare, nec enim omnes quorum peccata in Scriptura leguntur, excusari debent. Ad illud dictum Hieronymi respondetur, quod intelligit licere se occidere propter periculum castitatis, non semper, sed quando fit ex instinctu Dei, qui tamen instinctus frequentius, aut certius adesse solet, aut magis credi potest, quando intervenit periculum castitatis, quam ex aliis motivis. Quæ autem supra adducta sunt de arbore bona non faciente fructus malos, ibi soluta sunt, quod intelliguntur de bona intentione, non solum bonitate specificationis, et ex parte rei intentæ, sed etiam bonitate exercitii, et ex parte operantis.

QUANTITAS ET MAGNITUDO INTENTIONIS, ET FINIS QUOMODO COMMUNICATUR ELECTIONI, ET MEDIIS.

XXXIV. Ut discerni possit quantum boni vel mali, et in qua mensura descendat ab intentione ad electionem, a fine ad media, considerat D. Thomas, quæst. XIX, artic. VIII, in intentione duplicem bonitatem considerari, et consequenter duplici modo posse ejus magnitudinem et quantitatem mensurari. Uno modo ex parte rei intentæ, alio modo ex parte ipsius intendentis, et operantis. Ex parte rei intentæ quantitas, seu magnitudo bonitatis non semper communicatur totaliter, et adæquate mediis ordinatis in ipsum finem, et rem intentam, sed juxta proportionem mediorum, quia aliqua media participant plus, alia minus de ordine ad ipsum finem, et de bonitate illius, ut verbi gratia si quis intendit tamquam finem conversionem infidelium, seu peccatorum, et ad hoc assumit pro medio orationem, alius jejunium, et unus orationem vel jejunium plurium dierum, alius pauciorum, non participant ista media æqualiter bonitatem illius finis, sed aliud plus, aliud minus; et sic non tota quantitas, seu magnitudo bonitatis illius rei communicatur mediis et electioni, sicut etiam in bonitate rerum naturalium, ut qui intendit sanitatem, et adhibet diversa media, non omnia participant æqualiter, et totaliter bonitatem finis, sed juxta proportionem erga talem finem, unum enim medium est magis proportionatum altero, magisque vel minus participat de bonitate finis. Omnia tamen media, et electio eorum participant de bonitate vel malitia finis, in quantum finis est ratio volendi media, sed

non totam quantitatem, seu perfectionem bonitatis finis participant, quia non omnia media sunt æque proportionata, et adæquata isti bonitati finis, licet omnia aliquid de illius bonitate participant.

XXXV. Ista vero quantitas bonitatis in actu intentionis ex parte agentis, est sicut intensio, vel remissio in operando, et efficacia, seu impetus in agendo, et talis intensio et efficacia per se loquendo habet redundare ex intentione finis in electionem mediorum, si intentio efficax est (ut de ea loquimur in præsententi) quantum ad id quod est formale in tali electione mediorum, non quantum ad id quod est materiale, sic enim intelligitur D. Thomas in articulo VIII, verbi gratia intendit quis intense sanitatem, et ex ea efficaci intentione movetur ad remedium, verbi gratia ad scissionem, vel ad potionem amaram, scissio, et potio amara est materiale objectum illius electionis, formale vero est illa tendentia ad sanitatem, quæ in tali medicina relucet, quia hoc est motivum. Dicimus ergo juxta mentem D. Thomæ, quod eadem efficacia, et intensus impetus, quo quis desiderat sanitatem, communicatur illi electioni, et volitioni medicinæ formaliter sumptæ, id est, prout est tendentia ad sanitatem, quia non stat intense velle sanitatem ut assequendam, et non velle intense id quod de tali assecutione relucet in medicina, et in aliis remediis, cum sit eadem ratio unius et alterius; imo tota vis, et ratio operandi circa media, et volendi illa est ex voluntate finis: « Vis enim amoris intensionem multiplicat inquisitionis, » ut inquit S. Gregorius, quia ex amore finis intenso, multiplicatur etiam inquisitio ipsa mediorum, et intensio circa illa. Sed tamen, quia objectum illud materiale circa quod est electio potest

non multum placere, imo horrorem incutere, ut scissio membri, ideo potest circa illud minus intense ferri voluntas, quam circa finem, imo in tantum potest medium displicere, quod ex illo recedat ab intentione finis, quia aliquando non est tanto dolore digna salus. Et ideo diximus, quod per se loquendo ex intenso amore finis nascitur intentio electionis, stante scilicet, et non recedente intentione efficaci, si enim destruat ob displicentiam medii, non sequitur intensionem ejus intensio electionis.

XXXVI. Ex his sequitur, quod si quis proponat pro objecto intento, non solum rem ipsam, seu opus, sed etiam intensionem ejus, ita ut intendat operari intense, non semper sequitur in opere executo ad extra ista intentio, ut bene infert D. Thomas, quia intentio operandi in executione, non sequitur quantitatem ipsius boni intenti per modum rei, seu objecti, licet ab intentione exercita intense redundet exercitium intensum eligendi circa rem illam, ut subest assecutioni finis; quia electio est opus internum derivatum immediate ab actu, et exercitium intentionis, secus est in executione ipsa externa, quia possunt multa impedimenta nasci, aut minus proportionatum medium se offerre ad talis rei intentæ consecutionem. Et inde est, quod non semper aliquis meretur tantum, quantum intendit, et vult mereri.

XXXVII. Solum obstare videtur tertium argumentum D. Thomæ ejusque solutio. Nam in malis quantum quis intendit de malitia in intentione, tantum redundat in electione, ut si quis intendit occidere, et hac intentione projicit lapidem, reus est homicidii. Ergo etiam ex bona intentione quantum quis intendit bene operari, tantum boni resultabit in opere. Respondet sanctus doctor,

quod sola malitia intentionis sufficit ad malitiam voluntatis, et ideo quantum est mala intentio, tantum mala est voluntas, sed non est eadem ratio de bonitate. Contra hoc enim est, quia si aliquis intenderet in peccato blasphemiae, vel adulterii, aut in alio actu tantum offedere Deum, quantum diabolus, vel antichristus, vel Judas non ideo tantum offendit; et si quis intenderet simoniace acquirere episcopatum, et ad hoc nollet pecunias, vel aliquid pretium offerre, sed solum preces, et sollicitudinem, non propterea esset simoniacus; ergo non semper sequitur totam malitiam intentionis malitia operis, præsertim si sit malitia ex parte rei intentæ; hæc enim æquiparatur bonitati in communicando se.

XXXVIII. Respondetur doctrinam D. Thomæ debere intelligi de quantitate malitiæ ex parte specificationis, et rei intentæ, in hoc enim ponit differentiam inter malitiam et bonitatem, si quis aliquam speciem malitiæ intendat, totam illam speciem communicat cuicumque actui orto ex tali intentione, quia non retardatur, aut impeditur communicatio malitiæ ex circumstantiis operis etiam si bonæ sint, quia intentio malitiæ non alleviatur ex bono opere, sicut malitia operis minuitur ex bonitate intentionis. In hoc vult D. Thomas ponere differentiam, et est certa, ut ex dictis supra patet. Cæterum in aliis augmentis malitiæ dependentibus ab aliis circumstantiis vel objectis, parum interest, quod quis intendat illam malitiam, si non apponat ea ex quibus ejus augmentum dependet, sicut in casibus positus in instantia, velle peccare in aliquo opere quantum peccavit Judas, vel diabolus, hoc non pertinet solum ad speciem peccati, sed ad modum, si enim quis hoc intendit, sed non facit id quod diabolus, vel

Judas, scilicet, odisse Deum, vel tradere Christum, nec eo modo, scilicet, cum tali obstinatione, et durezza, etc. non tantum peccat quantum illi. Unde illa intentio est vana, et non dat illam malitiam quam ipse intendit, quia non efficaciter illam intendit, si quidem non apponit media, aut modum ad eam requisitum. Similiter qui intendit simoniace acquirere episcopatum, et solum offert preces, aut talis intentio est inefficax, aut illa actio precum non procedit ab illa intentione, sicut si quis intenderet adulterari, et solum postea vellet loqui cum muliere, aut intenderet adulterari per locutionem, talis vel mutat intentionem, vel ille actus non procedit ab intentione illa. D. Thomas autem loquitur solum in casu efficacis intentionis, et ea permanente.

#### ARTICULUS IV.

*Qua ratione teneatur homo conformari voluntati divinæ.*

I. In divina voluntate cui tenemur subjici et obedire, ac per illam regulare nostras actiones tria considerantur, scilicet objectum volitum a Deo materialiter, et secundum se, objectum formale, id est, rationem ipsam boni, et motivi quo Deus omnia vult, et efficientiam, seu rationem causæ effectivæ erga voluntatem nostram.

Similiter potest voluntas ista divina, ejusque objectum volitum nobis innotescere, et manifestari tripliciter. Primo, per expressam revelationem ejus, quod Deus determinate vult antecedenter ad nostram volitionem: secundo, per præceptum divinum, aut prohibitionem quod pertinet ad voluntatem signi, id est, ad signa voluntatis di-

vinæ, quibus nobis manifestatur, de quibus agitur i p. quæst. XIX, art. XII: tertio, potest manifestari nobis divina voluntas non antecedenter ad nostram voluntatem, et operationem, sed consequenter, quatenus ipso opere, et effectu cognoscimus Deum sic velle, quia sic fit, et sine voluntate ejus non fieret.

CONFORMITAS AD VOLITUM FORMALE SEMPER HABERI DEBET.

II. Volitum formale divinæ voluntatis vocamus rationem formalem, et motivum secundum quod Deus vult ea, quæ vult, ubi etiam includitur finis propter quem vult, quia ex fine sumitur ratio formalis, et motivum volendi. Et cum Deus sit universalissimum, et supremum principium, et provisor totius universi, formale volitum illius seu ratio formalis, et motivum est bonum commune totius universi secundum quod tale bonum ordinatur ad ipsum Deum, et ad ejus gloriam, ut ad finem. Et tale motivum, et formale volitum semper est bonum, et in se, et nobis: in se quidem, quia est bonum commune relatum bono divino ut fini, quod totum simpliciter, et in se bonum est. Nobis autem est bonum, quia ordo ad Deum, ut ad finem est maxime nobis conveniens, cum tota bonitas actuum moralium desumatur ex ordine ad Deum ut finem, qui est finis ultimus, et suprema regula nostrarum actionum.

III. Quid sit autem conformari isti volito, et in quo consistat? Respondetur conformitatem esse relationem alicujus convenientiæ, seu non repugnantiae unius cum alio. Et potest sumi ista convenientia, vel in genere causæ regulantis, et mensurantis, vel in ratione similitudi-